



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 12. Quatuor Cardinales ab eodem Pontifice instituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

## §. XII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.*Quatuor Cardinales ab eodem Pontifice creati.*

Eodem hoc anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo nono die decima quarta Decembris Sixtus V. octava jam vice quosdam Prælatos numero quatuor Romana Purpura decorabat, quos inter primus erat Marianus Perbenedictus apud Camertes in Umbriæ, & Piceni finibus ex nobilissima hujus nominis familia natus, eratque Marturanensis in Calabria Episcopus, ac dein vulgo Cardinalis Camerinus dictus titulo sanctorum Petri, & Marcellini. II. Gregorius Petrochinus patria Pisanus, supremus Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini Moderator, primo Cardinalis Presbyter tit. sancti Augustini, postea vero sanctæ Mariæ trans Tyberim, ac demum Episcopus Prænestinus. III. Carolus de Lotharingia ex Caroli Lotharingiæ Ducis, & Claudie Henrici II. Franciæ Regis Filia anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo Nancæi natus, qui ex Argentinensi Episcopo Cardinalis Diaconus creabatur tit. sanctæ Agathæ. IV. Guido Pepulus, qui variis Romanæ Curie officiis probe defunctus, ac Protonotarius, Referendarius,

B 4

rius,

Sæcul. XVI.  
A. C. 1589  
rius, & Cameræ thesaurarius renuntia-  
tus, aliaque munia obiens tandem Car-  
dinalium Collegio adscribatur, titu-  
lum adeptus sanctorum Cosmæ, & Da-  
miani: ast paulo post Presbyteris Cardi-  
nalibus annumeratus titulum sancti Eu-  
stachii obtinuit, quo rursus dimisso ad  
illum sancti Petri in Monte aureo voca-  
batur.

## §. XIII.

*Bonuccii Cardinalis obitus.*

*Arch. Gion.*  
*in annal.*  
*servorum.*  
*Ciacon. p.*  
*182.*  
*Ant. Vist.*  
*in add. ad*  
*Ciac. Ughel.*  
*Ital. sacra.*  
Ceterum ex Cardinalibus hoc anno de-  
functis non nisi tres numerantur,  
ex quibus primus erat Stephanus Bo-  
nuccius Aretinus ex Ludovico Patre in  
summa quidem paupertate constituto,  
sed prudentia, ac honestate conspicuo  
natus. Fertur, eum a Stephano Bo-  
nuccio nobili Aretino, ac Servorum B.  
Virginis Generali, cujus fuerat alum-  
nus, professionem, nomen, & agnomen  
auspicato traxisse: siquidem, cum ser-  
vorum Ordinem fuisset professus, in ar-  
tibus plurimum profecit: sacro igitur  
Theologiæ magisterio honoratus, elo-  
quentia clarus, Patavii, ac Bononiæ Re-  
gentis munus obibat, ac postmodum Apo-  
stolicus Ordinis sui Visitator, dein ve-  
ro Procurator generalis renuntiatus est.  
Postea unacum Hugone Boncompagno  
Apostolico Legato in Hispaniam Ca-  
ranzæ